

§ 6. Nos hæc discrimina, quantum in nobis est, tollere cupientes, tenore præsentium declaramus rem infructuosam, quæ tota, vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus, pluribusque annis, sive tempestate, sive alio casu non proveniunt, salva alia Juris communis dispositione intelligi debere.

§ 7. Præterea exactionem illarum expensarum prohiberi quæ ex pacto, vel conventionione tantum inter contrahentes inita, et instrumento Censuum specialiter appositæ recti permittuntur, non autem eæ quæ ex dicti juris dispositione repetendæ veniunt, et mandato Judicis adjudicantur.

§ 8. Cæterum Fidejussores dari, aliave bona hypothecari pro prædii Censu gravati evictione, aut si prædium in alium devenit, aut si aliquis tertius Fidejussor intercesserit, tertium possessorem, vel ejus bona obligari minime prohibemus. Hæc autem omnia pro evictione dumtaxat, non autem solutione pœnæ adjudicari posse intelligimus.

§ 9. Postremo in Dotium assignandarum casu Censuum erectionem, et constitutionem prædictam respectu actualis numerationis coram Notario, et Testibus faciendæ locum non habere. Sed in hoc casu Censuum ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse declaramus.

§ 10. Denique, ut periculis, quæ ex transportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eveniunt, occurratur, permittimus, ut si in creatione Censuum pecunia ad manum commode haberi nequiverit, illius loco Empor apocham, seu schedulam bancariam idoneam integri pretii in ipso emptionis actu debeat exhibere.

§ 11. Constitutione nostra prædicta tam in casu Dotium, quam cæteris omnibus in ea contentis, in suo robore permanentibus.

§ 12. Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die 10. Junii 1570. Pontificatus nostri anno quinto.

(19. Hanc vero Sancti Pii V. Constitutionem ob solam præsumptionem usuræ esse latam, et consequenter in conscientia non obligare, ubi *Contractus Censualitius* ab usura alias immunis est, tenet Navar. *de usuris* n. 69 et 70. Sa *verb. Censuum et alii*; sed nihilominus omnino tenendum est dictam Constitutionem Pianam, ubi usu recepta est, et per legitimam contrariam consuetudinem non est abrogata, absolute obligare. Castropalao *par. 7. tract. 2. disp. 6. punct. 15. num. 4.* ubi testatur hanc esse communem sententiam Doctorum. Censuum enim creatus contra formam Constitutionis S. Pii V. remanet nullus. Rota *part. 19. t. 1. dec. 338. num. 2.* (20. Ubi autem dicta Piana Constitutio, vel non est usu recepta, vel si primitus recepta, deinde fuit per legitimam contrariam consuetudinem abrogata, utique in nullo Foro obligat, cum Lex humana usu non recepta, vel per legitimam contrariam consuetudinem abrogata, vim obligandi non habeat *ex cap. Cum tanto 11. de consuetudine*, ibi: *Licet etiam longævæ*

consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel Juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta. Unde cum in hoc Canone Lex jam recepta, et usu confirmata per contrariam consuetudinem abrogari possit, multo magis ab initio per non usum ei derogari poterit, ut recte dicit Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 3. verb. quartum.* Et ad hoc optime facit, quod dicit Herinex *part. 2. Summæ Theologicæ, disp. 3. de legibus num. 117.* ibi: *Ex his patet quomodo multæ Leges seu Bullæ Pontificiæ in variis regionibus non obligent; videlicet, quia vel in iis neque divulgatæ, seu publicatæ, neque acceptatæ fuerunt, consentiente, seu tacite consentiente Pontifice; vel quia defectu publicationis, et acceptationis, esto in principio culpabili, tandem in perfectam desuetudinem desierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo quod Ordinarii frequenter advertant, aut existiment, ac sæpe non infundate, Leges varias non congruere publicæ utilitati suarum Diocesium ob inveteratas et rationabiles earumdem consuetudines, genium plebis, defectum finis Legis, v. g. quia lata fuit ob pericula, et defectus, qui ibidem generatim non grassantur, immo vix noscuntur, etc. Interdum etiam Ordinarii ob Potestatem Laicam non possunt exsequi pro libitu suo mandata Apostolica. Interea vero tempore fluente in desuetudinem Leges abeunt, antequam usu recipiantur.* (21. Hæc illæ, quia testibus Tamburino *tom. 2. lib. 9. tract. 2. de censibus*, Lessio *l. 2. c. 23. duo. 13.* Herinex *in summa l. 7. cap. 20. § 1. lit. l.* et aliis, dicta S. Pii V. Constitutio non est usu recepta in Gallia, Belgio, Germania, Hispania, et Sicilia, ibi non obligat, et consequenter valide, et licite ibidem fiunt contractus Censuales, non attentis conditionibus in ipsa Piana Constitutione præscriptis.

(22. Censuum Consignativus realis, sive perpetuus, et irredimibilis ex utraque parte, tam Censuarii, quam Censualistæ, sive Temporalis, et redimibilis ex utraque parte, ubi non est in usu Piana Constitutio, est licitus de Jure naturali, quia universaliter *ex Regula 75. Juris in 6. Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur*, et tenent passim Doctores. (23. Sic etiam de Jure naturæ est licitus Censuum personalis, dummodo Persona, in qua Censuum constituitur, sit fructifera, id est talis, quæ sua arte, opera, vel industria fructum aliquem pariat, unde Censuum solvere possit; potest enim super industria hominis constitui obligatio solvendi annuatim aliquid ex suis lucris per modum Decimarum, vel tributorum, quæ dicuntur personales; *arg. cap. ad Apostolicam, et cap. Pastoralis, de Decimis*; et nihil obstat similem obligationem vendi posse, adeoque, etc. (24. De Jure autem Canonico, tam Censuum perpetuus, et irredimibilis ex utraque parte, sicuti et redimibilis pariter ex utraque parte, quam Censuum personalis, est illicitus, et prohibitus per citat. Constitutiones Martini V. et Calixti III. incip. *Regimini*, et S. Pii V. incip. *Cum onus*, adeoque non nisi in locis, ubi illæ, vel non receptæ, vel abro-

gatæ sunt, potest valide, et licite sustineri.

(25. Censuum perpetui creati ad formam Bullæ Piane connumerantur inter bona immobilia. Clement. *Exivi § Cumque annui redditus, de verb. significat.* Merlin. *de pignori. lib. 2. tit. 1. quest. 44. num. 37.* Binsfeld. Molinæus, et alii, quos affert, et sequitur Salas *dub. 44.* et Cardinal. Lugo *disp. 27. section. 1. num. 8.* ubi dicit quod communis, et verior sententia docet, Censuum, seu redditus ad longum tempus censeri inter bona immobilia; secus vero si sint ad modicum tempus, et habetur etiam ex Rota *parte 12. recent. dec. 413. num. 72.* (26. Censuum creati ad formam Bullæ Piane spectantes ad Ecclesias et Loca Pia reduci non possunt ad minorem fructum sine Beneplacito Apostolico. Riccius *dec. Cur. Archiepiscop. Neapol. 134. part. 1. per tot. 4. in praxi p. 1. resol. 87. n. 2.* et alii, quos refert, et sequitur Donat. *prax. rerum. Regul. tom. 2. part. 2. tract. 14. quest. 58. num. 1.*

(27. Regulares nequeunt censuario nomine recipere pecuniam sine Beneplacito Apostolico. Sacr. Cong. Conc. *in Romana Cisterciensium 1. Sept. 1617.* teste Card. Petra *tom. 5. in Constit. 5. Pauli IV. sect. 3. n. 23.*

ADDITIONES AUCTORIS.

(28. Censuum et Cambiorum fructus a Communitatibus Ditionis Ecclesiasticæ conventi, ad æquitatis rationem reducuntur a Benedicto XIV. *tom. 1. Const. 139. incip. Ci è stato*, ubi acriter improbata aviditate vilis lucri illorum, qui non erubere opprimere, et aggravare magis Communitates dicti status exorbitantibus usuris quinque, sex, septem, et etiam octo, et novem pro centenario; ipsos Censuum reducit, et moderatur ad quatuor tantum pro quolibet centenario. Vide ipsam, ubi multa ad rem scitu digna traduntur.

(29. Censuum realis, de quo supra n. 8. licitus est, et immunis ab usura, nam venditur, et emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. Idem *de Synodo Dioces. lib. 7. cap. 48. § 4.*

(30. Censuum vero personalis non transit in realem, quamvis detur hypotheca, qua perente Censuum non perit: de eo dubium est, num de sua natura sit usurarius nec ne. Constat tamen vetitum esse ex Constitutione S. Pii V. in qua constituuntur Censuum conditiones; *ibid. § 4.*

(31. Num conditiones illæ, quoad ea quæ non sunt de jure naturali ac divino, ex contraria consuetudine legitime præscripta, cessant obligare apud quasdam nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius V. concessit non obligare, ut ex Gutierrez; *ib. § 5.* Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur *ibid.* (32. Monet tamen Pontifex, etiam in iis Diocesium, in quibus Piana Constitutio non viget, ut a Censibus personalibus, præsertim utrinque redimibilibus absteineatur; *ibid. § 6.*

ADDITIONE EX ALIENA MANU.

(33. De Censuum reservativo, tum consignativo, ea supplere quæ ab Auctore ommissa sunt, longum esset, limitesque præfixos excederet. Vide, si lubet, qui de utroque hoc Censuum paucis, sed dilucide agit, Aulium in libro singulari *de Censibus.*

ARTICULUS II.

EX EDITIONE BARBIELLINIANA,

Quoad extinctionem censuum.

(1. De extinctione Censuum, cujus adeo frequens in foro occurrit disputatio, nil meminit Auctor, neque hic vacat operosius super omissis inquirere, ideo paucis complectar quæ singulariora reputavi. Censuum potest quantolibet a Debitore exstingui. Sed non solum a Debitore, verum etiam a tertio potest exstingui, et a tertio quoque extinctus omnem adiunt facultatem Creditori agendi contra Debitorem. (2. A tertio dupliciter exstinguitur, vel absolute, vel translative reportata nempe per solventem a Creditore cessione translative jurium Censuum anterioritatis, et potioritatis. Primo casu solvens acquirit tantum jus ad sortem repetendam. Secundo vero casu distinguendum est inter cessionem simplicem translative anterioritatis, et potioritatis, et cessionem Censuum vivi, et realis, ac Crediti fructiferi. Primo casu nil aliud pariter præter sortem consequetur. Constantin. *Vot. decis. 29. per totum*, Zanch. *de prelat. credit. exercit. 2. § 9. num. 85.* Rota *post Cenc. de Cens. decis. 503. num. 5.* Secundo autem casu eodem gaudet privilegio perceptionis fructuum, quo fruebatur ipse Creditor, adeo ut, mutata tantum Creditoris persona, Debitor ad idem teneatur.

(3. Dicitur autem Creditor censualis dimissus per modum absolutæ extinctionis, cum in potiori instrumenti parte de omnimoda extinctione agitur; deinde vero in Capitulo prorsus separato apponitur cessio simplex jurium anterioritatis, et potioritatis, non cessio Censuum vivi, et realis, ac Crediti fructiferi. Rota *in Romana Immissionis 27. Martii 1726. § Sed omnem, coram Eminentissimo Calcagnino. In Recineten. Salviani 5. Decembris 1733. § Quidquid, inquam, coram Nunez. In Romana Censuum super subingressu quoad partitam reservatam 22. Julii 1753. § 3 et 4. in fin. coram Bussio confirm. 10. Decemb. 1753. impress. 1654. § coram eodem.*

(4. Nec pactum subingressus in simplici cessione qualitatem fructiferam Censuum inducit. Duplex enim subingressus dari potest tum quoad sortem, tum quoad fructus, et ad excludendam qualitatem fructiferam satis est, quod respectu sortis possit verificari, ne sine effectu remaneat. Constantin. *loc. citato.* Rota *in recent. part. 19. tom. 2. decis. 515. num. 7.* Licet per subsequentem fructuum solutionem tacita Debitoris supponerit ratificatio. Rot. *post Paulut. dissert. 52. tom. 2. dec. 1. n. 7. et seq. in recent. p. 14. dec. 171. n. 15.*

(5. Item dicendum de clausula: *Transla-*

tivamente non estintivamente in hujusmodi extinctionem instrumentis apponi solita. Rota in Romana censuum super Subingresso quoad partitam reservatam 22 Junii 1753. § 3 et 4. confirmat ut sup.

(6. Exstinguitur etiam Censuum, si Creditor Censuum irrevocabili censiti fundi dominium acquirat, adeo ut a qualibet cesset productione fructuum. Cenc. de Cens. qu. 119. n. 1. et seq. Rota post eumd. dec. 511. n. 1. et 2. coram Emerix jun. dec. 661. n. 2. coram Crescent. decis. 503. num. 16. Cum enim Censuum impositio naturam sapiat servitutis realis, quæ exstinguitur per irrevocabilem prædii servitutis acquisitionem; Paulut. dissert. 52. num. 7 et seq. Cenc. de Cens. quæst. 114. num. 2 et 3. ita et consecuto irrevocabili fundi censiti dominio Censuum exstinguatur oportet, ne creditum, et debitum dominium, et servitus, actio, et passio in

CESSIONES.

SUMMARIUM.

1. Concessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibendi sub pœna Excommunicationis. — 2. Concessiones commodi exigendi pensiones, factæ intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii, annullantur. — 3. Quoad Cessionem bonorum. Remissive. — 4. Quinam possint juri suo cedere. — 5. Debitor non potest in præjudicium creditorum jus quæsitum cedere. — 6. De Cessione translativa. — 7. Non valent cessiones factæ a majoribus in potentiores. — 8. Quenam requirantur, ut Cedens incidat in pœnam. — 9. An Ecclesia potentior nequeat Cessionem habere. — 10. An possit fieri Cessio in Clericos ratione mutandi iudicii. Remissive. — 11. Jura personalia personis ipsis adnexa cedi non possunt. 12. Quæ enumerantur. — 13. Generalis regula de Cessione. — 14. An jura passiva cedi possint. —

(1. Concessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur sub pœna excommunicationis, et annullantur a Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 29. in Universalis § 2 (2. Concessiones commodi exigendi pensiones, factæ intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii, annullantur. Idem Constitution. 30. incip. In sublimi § 4.

(3. Quoad Cessionem bonorum, vide verb. Restitutio, art. 1. a num. 49. ad 59; et verb. Solutio a num. 3. ad 6.

ADDITIONES CASINENSES

(4. Juri suo cedere possunt illi tantum, qui possunt alienare vel transigere. Ita non potest cedere sua jura decoctus. Noguierol. alleg. 16. num. 102. Ita Ecclesia et minores non possunt sua jura cedere; c. 2. de rebus Eccles. non alienand. in 6. Clement. 2. eodem. Molina de just. et jur. tr. 2. c. 224. Mantie. detacit. l. 4. tit. 6. n. 39.

(5. Debitor non potest in præjudicium creditorum jus quæsitum cedere; L. debitorum, Cod. de pignor., quamvis in jure nondum quæsitum, sed quærendo possit illis præjudicare, uti repudiando hæreditatem sibi delatam; L. debitorem, 20. ff. quæ in fraud. credit., quia jus quærendum nondum est in bonis debitoris. L. vitia renum. ff. ad leg. falcid. Sanch. de matrim. l. 6, dis. 4. a n. 8. (6. Hæc sunt de Cessione simplici; videamur

eodem subjecto reperitur contra censuram text. in leg. 1. Codic. de hæred. vel. act. vend. ibique Gotofred. not. 28. et Donell. tom. 3. edit. Lucen. col. 929. et 930. num. 2. et seq. Rot. in Eugubina Censuum super fructibus 3. Februar. 1736. § Statim, coram Molino.

(7. Neque loco damnorum, et interesse hujusmodi fructus percipi, et percepti retineri possunt. Ita enim eluderetur lex, et quod directe prohibitum est, indirecte permitteretur. Rota post Cenc. de Cens. decis. 228. n. 3. In recent. dec. 336, a. n. 1. ad 4. et num. 7. in Nepesina Salviani 25. Januarii 1726. § Posita cor. Cerro, et in dicta Eugubina Censuum super fructibus § Nec profuit, ubi plures allegantur.

(8. Cætera quæ omittuntur, habes in Cenc. de Cens. et consulend. etiam Zech. Rigor. moderat. circa usuras Dissert. 3. c. de Cens. sect. 7. per tot.

15. An Cessio jurium sit stricti juris. Remissive. — 16. Cedens tenetur tradere Cessionario instrumentum nominis cessi, ut agere queat contra debitorem cessum — 17. Periculum nominis cessi, quando illud fuit venditum, vel in solutum datum, tunc cedens ad aliud non tenetur, quam quod nomen cessum sit verum; non tamen quod sit exigibile. — 18. Cessio facta sine causa, et sine titulo est nulla. — 19. An cedens post Cessionem possit aliquid facere in præjudicium Cessionarii. Remissive. — 20. Quid sit Cessio Bonorum. — 21. Ejusdem divisio. — 22. Quid Cessio voluntaria. — 23. Quidve judiciaria. — 24. Quinam beneficio Cessionis judiciariæ non gaudeant. — 25. Debitor eximitur a pœna detentionis. — 26. Quid in casu quo bona non sufficiant ad debiti solutionem. — 27. Quomodo Cessio bonorum sit peragenda. Remissive.

mus nunc de translativa. Cessio translativa in alium supponit jus quæsitum in transfere non posse a debitore fieri in præjudicium creditorum. L. si avia, Cod. de Jur. deliber. Maschard. tom. 1. concl. 44. Limita, si Cessio fieret in eum, qui absque Cessione succedere potest, uti cohæres, vel substitutus, aut hæres ab intestato. Cancer. 3. p. var. res. c. 15. n. 160. Aliud erga est simpliciter repudiare hæreditatem aut legatum, et aliud illud in alium transferre, seu cedere illi qui absque tali Cessione illud acquirere non potuisset; et prius fieri potest, quia hæres aut legatarius nondum fecit per acceptationem suam, rem legatum; non item secundum; ex quo enim hæres aut legatarius rem legatam alteri cedat, videtur tacite illam adire, aut acceptare, et talis non tam diceretur omittere, quam patrimonium minuere, quod fieri non potest in præjudicium creditorum, nisi Cessionarius etiam non obstante Cessione illam rem legatam acquisivisset. Vide D. D. cit.

(7. Non tantum Cessiones a minoribus factæ, ut supra dictum est, non valent, sed neque factæ a majoribus, si fiant in potentiores, ut quando creditor actionem et nomen debitoris sui potentiori cedit juxta L. 1 et 2. Cod. ne liceat potentioribus.

(8. Cedens, ut incidat in pœnam, debet esse

dolosus, et quod cedat causa opprimendi adversarium.

(9. Quæritur an Ecclesia potentior nequeat Cessionem habere. Affirmant multi apud Oleam de cess. tit. 2. q. 4. n. 44. Maschard. de prob. concl. 558. num. 20. Vera tamen sententia est negativa, et Cessio in ejus favorem facta non subjacet pœnæ; L. 2. Cod. ne liceat potentiori; nisi Ecclesia, vel Clerici jurisdictionem haberent in Laicum contra quem fit Cessio. Menoch. l. 1. Olea. de cess. tit. 2. q. 4. num. quamvis ipse Olea. n. 48. ab hac sententia recedat, et verius iudicet, minorem, et Ecclesiam inter potentiores ratione privilegiorum, quæ habent, esse referendos, ideoque si de fraude appareat, exceptione et edicto Prætoris posse repelli, et citat Farin. in fragm. n. 308. et 311. nisi velint uti illo jure, quo uteretur is a quo causam habuerunt; ex Cujacio lib. 8. obs. 31. ibi; vel si non denegat actio, etc. (10. An possit autem fieri Cessio in Clericos ratione mutandi iudicii? vide Oleam. loc. cit. a. n. 46.

(11. Neque jura personalia personis ipsis adnexa cedi possunt. L. mulier ff. de jur. dot. Archid. in cap. privil. de Reg. Jur. in 6. (12. Talia sunt: 1. actio directa. Noal. de transmiss. cap. 24. num. 14. et auct. mox cit. 2. Usus fructus. L. si ususfructus, ff. de jur. dot. Surd. de alim. tit. 8. privil. 55. num. 4. et tit. 5. num. 9. Limita quoad commoditatem fructuum, quæ cedi potest. Mantie. de tacit. lib. 13. tit. 32. num. 4. Ita usus tantum jus personale cedi non potest. L. si habitatio, ff. de habitat. Noal. de transmiss. cap. 66. 3. Ita privilegium personale cedibile neque transmittitur. Olea loc. cit. num. 21. 4. Ita facultas eligendi, vel nominandi, quam quis habet jure proprio, licet in alium transferri potest, tamen facultas competens ad alterius utilitatem, uti nominandi aliquem ad successionem non potest cedi. Vide Oleam de cess. tit. 3. quæst. 1. Cyriac. lib. 2. contr. 297.

(13. Generalis regula est quod omne quod cedi potest, possit etiam transmitti, et quod transmitti non potest, neque cedi potest. Consule D. D. cit.

(14. Ad quæsitum: An jura passiva, vel actiones passivæ cedi possint? negative respondetur secundum commune apud Oleam de cess. jur. tit. 3. quæst. 9. num. 8. Ratio est, quia Cessio est translatio facta juris proprii in alium, actiones vero passivæ nostræ non sunt, neque in nostris bonis, sed creditorum. L. postquam, ff. de usufr. L. mulier. bona, ff. de jur. dot. Merlin. de pignor. lib. 1. quæst. 8. num. 4, et ita in usufructuarium universalem bonorum, immo nec in emptorem hæreditatis transeunt debita, ut contra illos agere possint creditores.

(15. Olea contra multos tenet in quæstione, an Cessio jurum sit stricti juris; d. tit. 6. quæst. 6.

(16. Cedens tenetur tradere Cessionario instrumentum nominis cessi, ut agere queat

contra debitorem cessum. Gratian. disc. for. cap. 501. Cenc. de cens. quæst. 72. num. 23. Neque sufficit quod constet de credito per sententiam. Hering. de fidejuss. cap. 27. p. 3. Limita si creditor juramento suo affirmaret, se amisisse, tunc enim liberaretur. An vero sufficiat quod cedens ostendat, et indicet notarium, qui fecit instrumentum? ut tenuit Rot. apud Seraph. dec. 1477. num. 8. vel requiratur actualis traditio, ut tenuit Rot. dec. 14. num. 3. p. 4.

(17. Periculum nominis cessi, quando illud fuit venditum, vel insolutum datum, tunc cedens ad aliud non tenetur, quam quod nomen cessum sit verum, non tamen quod sit exigibile. L. si nomen. 4. ff. de hæred. vel act. vendit. Olea loc. cit. quæst. 3. num. 3.

(18. Cessio facta sine causa et sine titulo est nulla, L. fin. Cod. mandati. Ciardin. contr. for. cap. 189. num. 20. Grass. de excep. excep. 40. Sicut est nulla, quando titulus fuit nullus. Gratian. disc. for. cap. 479. num. 72. Farin. de falsit. quæst. 162. Menoch. lib. 3. præ. 129. num. 29. et sicut falsa causa vitiat contractum, ita et Cessionem. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 21. quæst. 2. et per totum, Præsumitur enim tunc simulate facta. DD. cit.

(19. Quæstio autem, an cedens post Cessionem possit aliquid facere in præjudicium Cessionarii, ut confitendo, liberando, vel exigendo, videri potest apud Cacheran. decis. 52. et 45. Merlin. de pignor. lib. 2. quæst. 32. Olea de cess. tit. 8. quæst. 2.

(20. Cessio Bonorum est desertio bonorum omnium in creditorum favorem peracta a debitore, quum non possit amplius debitis suis satisfacere. (21. Hæc autem Cessio una est voluntaria, judiciaria altera. (22. Cessio Bonorum voluntaria est ea, quam creditores sua sponte admittunt, et hæc aliud non efficit, quam id, quod ex stipulationibus Creditores inter et debitorem derivatur. (23. Cessio vero Bonorum judiciaria in beneficium est debitoris, cui pro incolumitate suæ libertatis, omnia bona sua creditoribus deserere conceditur, non obstante quacumque in contrarium stipulatione. (24. Cessionis hujusmodi beneficio non gaudent. Exteri, omnes qui vulgo dicuntur Stellionarii, fraudulenter Decocti, damnati causa furti, etc., Tutores, Administratores, Depositarii, etc. Cessio judiciaria creditoribus proprietatem nullo modo tribuit, sed tantum jus bona venundandi in propriam utilitatem, et fructus, percipiendi donec venundentur. (25. Hac Bonorum Cessione eximitur debitor a pœna detentionis, vulgo Arresto personale. (26. Si vero bona satis non sint ad omnia debita solvenda, debitor et alia si acquirat bona cedere tenetur, usque in integrum solvat. Cod. Regn. utrius. Sicil. leg. 1218. ad 1225

(27. Quomodo Cessio Bonorum sit peragenda, vid. Azzariti Dizionar. Ragionat. del Codice del Regno delle due Sicilie, part. 3. ad verb. Cessione di Beni.